

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Nicodemi Frischlini Rebecca

Frischlin, Nicodemus

Altorfii, 1611

Actvs I. scena II.

[urn:nbn:de:bsz:31-138617](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-138617)

*Tranquillo es, Eleasare, & de rebus interim
Nostris in utramvū aurem quiescito.*

EL. Sed nullō me mihi comites adjungam via?

AB. Imò ut voles: nam reperies intus domi

Pro arbitrato tuo. EL. Sat habeo, bene vale:

Et felicem mihi reditum à Deo impetra,

Namq̄, una precatio tua plus mihi commodi

Feret, quā omnis labor meus, AB. Benè ambula.

ACTVS I. SCENA II.

Abrahamus,

Verissimum id esse, vulgò quod dici solet,
Re ipsa nunc demum experior: si quis bonū
Et frugi nactus sit servum ex sententia:
Eum non postremum hac in vita commodum
Adeptum esse: velut ego hunc habeo Eleasarum,
Nam is me herum matura solet capessere,
In se sera: & quod jubetur, citius citius
Quadrigis properat persequi. Tum quas ego
In servo puto virtutes longè maximas,
Fidem ac taciturnitatem! has rebus omnibus
Adhibet, & quod rarū in servo est, contumelias
Nullas, nulla maledicta in quenquam hominem
ingerit:

Pietatis insuper tantò observantior

Est ceteris: quantò illi ad seua crimina

Et

Et convitia se habent fere proclivius.
Itaq; mihi dubium non est, quin Angelus
Dei cum huc reducturus sit fati propitiis:
Idq; ut fiat, DEVM immortalem unice precor.
Nunc proximum est, ut conveniam natum meū:
Et eum de consilii nostri sententia
Certum faciam. Nam u solus nunc restat mihi
Monendus: ut si evenias, quod volo, nihil
In ipso sit mora. Et spero sic fore.
Nam nulla in re prius unq; immorigerum habui.
Ibo intrò, ut qua constitui, peragam sine mora.

ACTVS II. SCENA I.

Ismaël.

EXite, agite, ite ignavi: vos male conciliati,
male habiti
Ite ociosi, quidnam restitatis? Iam dudum jubar
Clarum solis obortum est: & omnes sylvæ luci
pervia.
Et vos adhuc ignavi stertitū? Excutiam hercle
inertiam.
Hanc vobis, si vixero. Quanquam ita animatos
vos esse video. (bo,
Ita negligentes, ita deperditos, ita ingenio impro-
Ut duritia tergi me vincere cogitetis. Nam ego
fere

B 4 Semper